



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio Practica ...

De Conversatione Apostolica A Curatoribus Animarum piè & fructosè
instituenda - Complectens vatios & solidos modos juvandi & consolandi
diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè ægras & captivas

Lohner, Tobias

Dilingae, 1677

Memb. II. De spirituali solatio ægris præstando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48248)

exhibeat, &, dum Infirmorum sibi amorem, benevolentiamque conciliare conatur, alios à se importunitate sua indifferenter avertat. Quod certè si periculum adverteret, rectius foret omittere ejusmodi cortogationes, &, si quidem nec ipse autum ex enumeratis tribus solatiis exhibere possit, bonam saltem voluntatem suam ostendere juxta S. Gregorij Naz. orat. de paup. amore consilium dicentis: *Summi muneris loco altissimam dona: si nihil habes, collacryma: magnum est infortunato remedium miseratio ex animo collata.* Quod ipsum etiam S. Augustinus sup. Pl. 109. confirmans, si potes dare, inquit, *dare non potes, affabilem te fac: coronat DEVS voluntatē, si non invenis facultatem. Nemo dicat, non habeo; caritas de sacculo non erogatur.*

MEMBRUM II.

De spirituali solatio ægris præstando.

Nonnulla quidem sunt solatia spiritualia, quæ Infirmis ab Operario præstari possunt, sed si accuratius ea considerentur, ad quatuor ferè revocari genera possunt. Quorum primum meritò Oratio & SS. Missæ Sacrificium existimatur; hinc Rituale Romanum inter cætera monet: *Consoletur Infirmum, dicens, se pro eo in Missa Sacrificio, & aliis precibus oraturum, curaturumque, ut alij itidem pro eo faciant, idque re ipsa præstabit.* Quod solatium ut tantò magis affimet æger, proderit ipsi ex una parte orationis necessitatem hoc maxime tempore urgentem ex illo Christi monito Marc. 14. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem:* ostendere; ex altera vero parte demonstrare, quantas vires habeat aliorum pro ægro facta oblatio, ex Cunonis Monachi exemplo, quem in morte quindécim millia Dæmõnum oppugnabant, qui tamen omnes juxta propriam confessionem nihil ipsi nocere potuerunt, quia alij Monachi adstantes constanter pro ipso oraverunt, uti fufius in Spec. exempl. V. Mors. ex 18. legitur. Unde meritò tam Operario, quàm aliis, quos ad orationem pro ægris fundendam adhortatus fuerit, illa S. Jacobi adhortatio in memoria hæere deberet: *Orate pro invitem, ut salvemini, multum enim valet deprecatio iusti assidua.*

II. Alterum solatium est, ut Infirmis firmissimè persuadete conetur, non modò hanc infirmitatem à benignissima

DEI

DEI providentia ad majorem suam gloriam, ipsorumque Aegrorum salutem immixtam esse, ita ut merito de eorum infirmitate dici possit, quod Christus de infirmitate Lazari Jo. 11. dixit: *Infirmus haec non est ad mortem, sed pro gloria DEI, ut glorificetur Filius DEI per eam*; sed etiam DEVM nunquam magis praesentem ipsis suo favore, auxilio, & solatio esse quam in infirmitatibus, aliisque tribulationibus; sic enim ipse ps. 90. promisit dicens: *Cum ipso sum in tribulatione*. Et iterum Isaia 43. *Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine meo: meus es tu. Cum transieris per aquas (tribulationum) tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non comburèris, & flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus DEVS tuus Sanctus Israël Salvator tuus*. Atque ita re ipsa praestitit Daniel. 3. quando sub specie Filij DEI cum Pueris in ignem Babylonicum coniectis in medio fornacis conspectus est, & flammam, ne iisdem noceret, cohibuit. Unde merito S. Augustinus in ps. ait: *Magnus quidem est ager huius mundi (& tribulationum, quae comitantur Mundum) sed magna etiam umbra sub alis DEI*. Et S. Bernardus dicere consuevit ad DEVM: *Da mihi tribulationes, ut possis mecum esse*.

III. Tertium solatium est, ut Infirmis multiplices fructus suorum morborum clarè, solidèque demonstret, qui duodecim praecipue numerantur, ob quos infirmitas, & quaevis alia tribulatio merito ligno vitae duodecim fructus afferenti, & à S. Joanne Apoc. 12. in medio civitatis Jerusalem conspecto comparatur, quorum primus est, quod à peccatis animam purget, & praeservet, uti S. Gregorius ho. 19. in Evang. testatus est dicens: *Divina dispensatione agitur, ut prolixiora vitae agritudo prolixior exurat*. Hinc p. 3. Past. admon. 3. ultimus ait: *Admonendi sunt agri, ut considerent, quanti sit numerus agritudo corporalis, quae & admissa peccata diluit, & ea, quae admitti poterant, compescit*. Unde senex quidam roganti, ut eum à tertiana liberaret, respondit: *Rem tibi necessariam accipis abijcere; ut enim corpora nitro, sic anima languoribus purificatur*. Et, ut alius dixit, *multi, cum sentiunt poenam, corrigunt culpam; ut adeò merito aegroti dici queat: Bene pungetis, si compungeris*. Nam *Livor vulneris abstergit mala*, Salomon prov. 20. pronuntiavit. Unde rectè S. Augustinus

ut. 7. in Joan. exclamavit: *Quam multi scelerati sani sunt, qui innocenter agrotarent!* Secundus fructus est, quod oculos mentis & intellectum aperiat, ut seipsum homo æger cognoscat; nam *vexatio dat intellectum*, juxta Isaiam c. 28. &, ut S. Gregorius ait, *nemo vires suas in pace cognoscit*. Hinc Christus Jo. 9. cæci oculos aperturus jussit eum oculos suos aquis (per quas tribulationes significantur) prius lavare; quia, ut sapienter Salvianus l. 1. de gubern. DEI advertit, *infirmas carnis vigorem mentis exacuit, ut affectis artubus vires corporum in virtutes transferantur animorum*. Tertius effectus est, quod Hominem ad se redire faciat; nam juxta Siracidem c. 31. *Infirmas gravis sobriam facit animam*. Et, ut communitè proverbium testatur, *infirmum corpus sanas parit cogitationes*; hinc Luc. 2. Zacharias Pater S. Joannis Baptistæ in suo Cantico dixit: *Ad dandam scientiam salutis plebis tuæ visitavit nos Oriens ex alto*. Quartus est, quod virtutem probet, & perficiat; nam virtus, teste S. Paulo 2. Cor. 12. *in infirmitate perficitur*; quod ipsam eleganter confirmans S. Cyprianus l. de morte: *Sit licet, ait, rei familiaris amissio, sit de infirmitatibus morbis assidua & cruenta morborum vexatio, sit de uxore, de Liberis funebribus & tristis avulsio, non sint tibi scandala ista, sed prelia; non debilitent aut frangant Christiani fides, sed potius ostendant in collocatione virtutem, cum contemnenda sit omnis injuria malorum presentium fiducia bonorum futurorum. Confluctatio in adversis probatio est virtutis, sicut scriptum est, vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis*. Quintus est, quod animam possidere faciat; sic enim Christus Luc. 21. testatur: *In patientia vestra custodiemus animas vestras*. Id quod clarius explicans S. Gregorius l. 5. mor. c. 14. ait: *In patientia anima possidetur, quia per illam omnibus rebus, & sibi ipsi homo dominatur: & quò se invincibiliter frangit, eò fortiter infractum erigit. Cum enim se operat, ad contraria invictum parat*. Sextus est, quod electionis securitatem præbeat; uti Christus ipse S. Gertrudi, vite Blosio, indicavit dicens: *Sicut annulus in Sponsalibus est vinculum fidelitatis inter Sponsam & Sponsam; ita morbus & afflictio, si propter DEVM patienter feratur, a divina electionis & certitudinis DEVM inter & Hominem Matrimonij certum signum est*. Et alius quidam dixit, sicut Piscatores per hamum attrahunt pisces,

pisces, ita DEVS per tribulationes attrahit ad se homines; hinc Christus Jo. 12. dixit: *Ego, cum exaltatus fuero à terra, (scilicet in crucem) omnia traham ad meipsum.* Et S. Leo l. 9. de quadr. ait: *Certa atque secura est expectatio futurae beatitudinis, ubi est participatio Dominica Passionis.* Septimus est, quòd purgatorij loco fit; uti Beda in scintill. testatur, dum ait: *Infirmas carnis, si patienter sustineatur, sit quasi purgatorius ignis; & sine ferro Martyres esse possumus, si patientiam in animo servamus.* Quis autem debitor mille talentorum non gauderet, si uno crucigero porrecto totum hoc debitum posset extinguere? Et hoc nempe est, quod S. S. Iracides c. 20. dixit: *Est, qui multum redimat parvo pretio.* Octavus est, quòd suppleat Passionem Christi; uti S. Paulus ad Coloss. 1. de seipso scribens confessus est: *Nunc gaudeo in passionibus, & adimplebo ea, qua desunt Passioni Christi in carne mea.* Hinc quaedam Monialis dixit: *Cum Christus inæstimabili desiderio quærat salutem hominum, & in se tales labores ferre non possit, ampliùs in suis dilectoribus, qui ei fidei amore adhærent, supplere dignatur.* Nonus est, quòd ad DEVM recurrere faciat; uti S. David ps. 15. testatur dicens: *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Hinc Salvianus in ep. ad soror. ait: *Nunquam, ut puer, habitatore DEO dignior extitisti. Quanto imbecillior corpore, tanto purior sensu; vincentibus carnem morbis mente vincisti.* Decimus est, quòd amorem infirmi erga DEVM probet; sic enim ipse Christus Jo. 14. dixit: *Vt cognoscat Mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Surgite, eamus, scilicet ad crucem & dolores perferendos. Undecimus est, quòd præmium inæstimabile mereatur; non enim sunt condigna, teste Apostolo ad Rom. 8. *passiones huius temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis.* Hinc S. Augustinus, quòd pungeris, inquit, inde nascitur rosa, ut coroneris. Et propterea etiam S. Chrysostomus monet: *Noli aspiciere viam qua aspera est; sed quò ducat, perpende.* Duodecimus est, quòd consolationum cælestium causa sit juxta illud Psalmistæ ps. 93. *Secundum multitudinem dolorum consolationum tua latificaverunt animam servi tui.* Et idem S. Paulus est expertus, uti de seipso 2. Cor. 7. testatur dicens: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

IV. Quartum denique solatium est, ut spirituale Myro-
 thecion (em Balsampixlem) ægris offerat, quo se identidem
 refocillent, & vires spirituales reparent. Tale autem myro-
 thecion nihil aliud est, quam motivorum ad patientiam &
 alacritatem excitantium consideratio, præcipuè sex sequen-
 tium. Quorum primum est exemplum Christi; nam
 teste S. Bernardo, *Devotus miles non sentit sua vulnera,*
quando Ducis sui vulnera intuetur. Et ut alibi loquitur S. 5.
 in Festo Omnium Sanct. *ad capitis corpus se non indicat per-*
timere membrum, quod capiti compassum non fuit. Certè S.
 Clara per hoc medium effecit, ut gravissimi morbi per vigin-
 ti annos tolerati gaudium ipsi potiùs, quam dolorem creā-
 tions, teste Surio. 12. Jul. Idemque experta est etiam Marga-
 rita Austriaca, quæ, ut Lyræus l. 5. apoph. 3. testatur, cum
 offensâ Christi Crucifixi effigie moneretur, ut levamen dolo-
 rum ab eò peteret, respondit: *Apage;* neque enim decet,
 Christum plagis & ærumnis confectum in cruce pendere, &
 me à minoribus liberari velle: ac mox oculos ad Christum
 convertens dixit: *Auge, Domine, dolores, & da patientiam.*
 Alterum motivum est Sanctorum exemplum, de quibus Ec-
 clesia in officio SS. Martyrum canit: *Omnes Sancti, quanta*
passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam Martyriæ.
 Unde hæc exempla considerans æger seipsum illis verbis, qui-
 bus olim continentia D. Augustinum correxit, alloquatur:
Perseverunt isti, & ista, & tu non poteris? Tertium motivum
 est præmij cælestis consideratio; nam & Christus proposito
 sibi gaudio sustinuit crucem; *Sed & alii Sancti,* teste S. Cy-
 priano, *mala atque adversa fortiter tolerant, dum bona futura*
prospectant; memores id, quod leve & momentaneum est tri-
 bulationum, æternum gloriæ pondus operari, uti S. Paulus
 1. Cor. 4. dixit. Certè ob hanc causam Christus ipse B. Susoni
 dixit apud Padag. *Christ. to. 2. p. 2. c. 17.* morbos & qualvis
 ærumnas hujus vitæ esse thesaurum absconditum, cujus præ-
 tium nemo hominum æstimare possit, & cujus partem mini-
 mam nemo etiam centum annorum demississimis precibus
 valeat impetrare. Quartum est Inferni vel Purgatorij me-
 moria; sic enim S. Franciscus Borgia hanc memoriam velut
 prodromum ad ea loca, in quibus pati debebat, præmittens,
 vania sibi levia atque accepta efficiebat: nam, ut rectè S. Au-

gustinus dixit f. 109. *Qua quisque valde gravia patitur, in comparatione aeterni ignis non tantum parva, sed nulla sunt.* Et alibi in ps. 68. *Quis non bibat poculum temporalis tribulationis, metuens ignem gehennarum & maiore timore minora contemnimus.* Quintum est peccatorum priorum consideratio; mitigat namque vim doloris considerata aequitas ferientis, teste S. Gregorio; & ut idem alibi ait, *tantò quis patientiò ferrum Medici tolerat, quantò magis putridum esse conspici, quod secat.* Hinc dicent aegri cum Michæa c. 7. *Iram Domini portabo, quia peccavi ei.* Vel cum Jobo c. 3. *Peccavi, & vere deliqui, & ut eram dignus, non recepi.* Aut cum S. Augustino: *Gravius est, quod commisi: levius est, quod tolero.* Sextum denique est consideratio divinæ providentiæ hunc morbum ex altissimo fine, scilicet vel ad paternam correptionem; vel ad honorificam virtutis & amoris probationem immittentis; cuius medij efficaciam pulchrè olim S. Clemens Pontifex ex S. Petro Apostolo didicit; cum enim hic sanctus à S. Barnaba conversus, & ad S. Petrum missus esset, atque ab hoc in disputatione cum Simone Mago sequenti die instituenda comparere iussus, ob eandem subito impedimento interveniente impeditam, & ad triduum dilatam vehementer doleret, audiit à S. Petro saluberrimam hanc doctrinam: *Gentiles turbantur, cum non accidunt res ex voluntate: at nos Christiani, qui scimus DEVM sapientissimè gubernare, & per suam providentiam moderari res omnes, in quolibet rerum eventu in pace consistimus, & consolatione.* Unde & Blossius in farrag. sapienter hortatur: *Si voluntas DEI tibi dulcis est, quando ipse te sanum esse, & vivere vult; amara verò est, quando te vult infirmum esse, vel mori, nondum plenè resignatus es, nondum habes cor satis rectum. Si vis, ut ipsum cor tuum iam non sit curvum, subiung illud in omnibus voluntati divinæ, quæ semper recta est. Vnicè opta, ut semper voluntas eius fiat, & eadem voluntas sit summa consolatio tua.* Quare quilibet aegrotus illam sibi S. Augustini in ps. 21. doctrinam applicet; & intelligat, Medicum esse DEVM, & tribulationem (ac morbum) esse medicamentum ad salutem, non pœnam ad damnationem. *Sub medicamento vocaris, secaris, clamas; non audit Medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. Melius est enim, ut S. Bernardus alicubi ait*

frangi laboribus (& morbis) ad salutem, quam incolumes remanere ad damnationem.

MEMBRUM III.

De alijs Consolatiunculis, quæ ex occasione per apposita dicta creati possunt Infirmis.

I. Et si ea, quæ hæctenus dicta sunt, sufficientissima esse queant ad insignem consolationem ægro afferendam; quia tamen interdum valde recreat ægrum, si ad ipsius querelas vel doloris manifestationes apposita responsa ab Operario reddantur, ideo exempli loco placet hæc paucas ejusmodi doctrinas enumerare.

II. Inprimis ergo, si graves dolores pati Infirmum aliquem adverterit, narret eidem apparitionem, quæ, teste Sutorio. 2. S. Lydwinae facta est, dum coronam valde pretiosam, sed non omnino absolutam vidit, quam cum absolvi à Christo peteret, mox à Milite quodam pessimè tractata, & acutissimis morbis cruciata est, in quibus cum clamaret assiduò: O benignissime IESU, miserere mihi: Angelus ei apparuit solatus est illam, dixitque, nuac tandem coronam absolutam esse, & dolores ac injurias, quos tam patienter tolleret, esse uniones & pretiosos lapides, ex quibus corona illa confecta sit.

III. Si quampiam parùm resignatum videat in morbo, suadeat illi, ut tres Episcopos ab Ecclesia colidos in Patronos pro hoc morbo adsciscat, nempe S. Episcopum Deusdedit. 10. Aug. S. QuodvultDeus. 26. Oct. & S. Deogratias Episcopum Carthaginensem, qui multos Christianos tempore Vandalicæ persecutionis redimebat.

IV. Si Infirmum de defectu Medicinarum querentem audiat, narret illi, quid Carolus Quintus Joachimo Electori Brandeburgico ipsum ad Medicinas varias usurpandas adhortanti responderit, scilicet in morbis optimum remedium esse Patientiam. Drex. in prodr. c. 2. §. 39.

V. Si de diuturnitate morbi quispiam queratur, in memoriam illi revocet, quod S. Athanasius dicere solebat,